



T H E S E S.
DE NECESSITATE
BONORUM OPERUM.

I.



A veræ Fidei Vis est & natura, ut in hominibus renatis, nunquam sit sterilis & otiosa, sed semper ενεργητική atq; efficax, ad insignes in omni virtutum genere progressus, proferens fructus illos pulcerrimos, charitatem, spem, patientiam, invocationem & alia opera verè bona, Deo q; placentia, Roman. 5. v. 2. & 3. Galat. 5. v. 6. 1. Thessal. 1. v. 3. 1. Johann. 4. v. 8.

Natura & proprietas veræ Fidei.

II. Atq; hinc non præter rem Fides salvifica passim in scripturis arbori, bona opera verò fructibus comparantur, Matth. 3. v. 10. & 7. v. 18, Roman. 6. v. 22. Colos. 1. v. 10. 2. Petri 1. v. 8. Quemadmodum etiam p̄j ac fideles, Arbores justitia Esaia. 61. v. 3. & opera illorum fructus justitia, Philip. 1. v. 11. fructus fidei seu sapientia quæ supernè est, Jacob 3. v. 17. & fructus Spiritus Gal. 5. v. 22. aliisq; in locis, haud rarò appellatur.

Fides comparatur Arbori: bona opera fructibus.

III. Ut enim Arbor fera & sylvestris è solo sterili in hortum aliquem amœnissimum transposita, plantatione quasi regeneratur, ac irrigatione pluviae fœcunda redditur, ut sylvestrem naturam exuat, in arborem mitem & frugiferam transeat, & fructus proferat gratissimos: ita etiam homines naturâ rudes & inculti, è malignis mundi hujus collibus, in pingvem adeoq; fertillissimum Ecclesie campum transferuntur, ibiq; verbo & spiri-

Ratio collationis.